INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI

GERMANORUM IMPERATORIS BORUSSORUM REGIS

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES HIBERNOS A. MDCCCLXXXVIII–IX

INDE A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

Langen

PRAEMISSA EST P. LANGENI AD NONNULLOS LOCOS CICERONIS DE FINIBUS LIBRORUM ADNOTATIONUM PART. II.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

1888/89

AUCTORITATE

RECTORIS ET SENATUS

CIVIBUS ACADEMICIS

S. D.

PETRUS LANGEN,
LITTERARUM LATINARUM P. P. O.

In praefatione indici scholarum per hos menses aestivos habendarum praemissa cum nonnullos locos tractaverim ex duobus prioribus libris operis Ciceroniani de finibus bonorum et malorum conscripti desumptos, iam iterum data praefandi occasione pauca eligam ex tribus posterioribus libris, de quibus sententiam meam breviter proponere in animo est.

III, 6, 22.

Ut enim si cui propositum sit collineare hastam aliquo aut sagittam sicut nos ultimum in bonis dicimus, sic illi, facere omnia quae possit ut collineet, huic in eiusmodi similitudine omnia sint facienda, ut collineet, et tamen ut omnia faciat, quo propositum assequatur, sed hoc quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus, illud autem ut feriat, quasi seligendum, non expetendum.

Locus est perobscurus et qui multum interpretes fere omnes vexaverit neque dubitari potest, quin culpa ex parte saltem aliqua sit scriptoris ipsius nimium festinantis, ut, quocumque nos vertamus et emendando et delendo et interpretando, non omnes offensiones tolli possint. Atque quamquam Madvig non paulum lucis obscuritati verborum attulit, tamen nonnulla reliquit, quae nullo modo Cicerone digna

videantur: *sic nos ultimum in bonis dicimus* scripsit Goerenzium secutus pro eo, quod est in codicibus *sicut nos ultimum in b. d.*, tum verba *sic illi facere omnia quae possit ut collineet* tanquam non a Cicerone profecta uncis inclusit, denique scripsit cum Ernestio *sit hoc quasi ultimum,* cum traditum reperiatur *sed hoc quasi u.* Quae mihi in tali verborum et sententiarum conformatione non placent, haec sunt: ante omnia desidero verbum ad quod *ut* particula primo loco posita apte referatur; hanc enim comparationem, quam interpretes statuerunt: *ut si cui propositum sit* — *sic nos ultimum in bonis dicimus* apte expressam esse nego propterea quod et condicione utitur scriptor et *enim* particula interposita *ut si* divelluntur. At verba, quae paullo post sequuntur: *huic omnia sint facienda ut collineet,* ea videntur esse quae necessaria sunt ad comparationis priorem partem incohatam explendam: haec autem sententia interrumpitur non solum eis, quae Madvig delenda censet, sed etiam enuntiato, quod ea praecedit: *sic nos ultimum in bonis dicimus.* Rursus cum hac sententia: *huic omnia sint facienda, ut collineet* cohaerent et coniungenda sunt quae non statim sequuntur: *illud autem ut feriat, quasi seligendum, non expetendum;* quae autem hoc loco interposita sunt, gravissimam movent dubitationem non solum propterea quod falso divellunt quae separari nequeunt, sed etiam propter satis mirum *tamen* coniunctionis usum, quam Madvig frustra explicare conatur hoc modo: „ut dixi supra, sic ultimum constituitur, ut excludatur omnis feriendi significatio; itaque quia cavetur ne id comprehensum videatur, cum sic dicatur *ut collineet,* hoc adiungitur: *et* tamen *hoc sit ultimum ut omnia faciat* cet.“, quae dicenda fuisse apparet omissa illa coniunctione, cum nullo modo sententiae inter se sint contrariae, immo vero idem significent, nisi quod notio aliqua extremis verbis *sit hoc quasi ultimum* accuratius definitur: poterat igitur Cicero addere *et quidem, ut omnia faciat* vel ut Iacobus recte contendit in Philologi tom. VI p. 490: *et id ipsum ut omnia faciat* cet. Accedit, quod verba *ut omnia faciat quo propositum assequatur,* quae tam male cum eis, quae antecedunt, coniunguntur, ipsa prorsus nihil novi continent, quare ea una cum perversa illa coniunctione delenda censeo. Denique interpolata iudico verba *quale nos summum in vita bonum dicimus* non solum quia, ut iam dixi, eis interrumpuntur, quae inter se cohaerent, sed etiam quod prorsus eadem est sententia verborum *sic nos ultimum in bonis dicimus,* bis igitur idem Cicero in eadem comparatione sine ulla causa dixisset; haec ipsa autem verba *sic nos ultimum*

in bonis dicimus apte totam comparationem concludunt, non apte legi eo loco, quo in codicibus scripta reperiuntur, supra iam indicavi. Haec omnia consideranti mihi talis totius sententiae conformatio videtur Ciceroniana esse: *Ut enim si cui propositum sit, collineare hastam aliquo aut sagittam, huic, in eiusmodi similitudine, omnia sint facienda, ut collineet et sit hoc quasi ultimum, illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum, sic nos ultimum in bonis dicimus.*

Omnia, ut sunt in codicibus tradita, servavit C. F. W. Mueller in editione sua, nisi quod *sit hoc quasi ultimum* scripsit pro eo quod est in libris *sed hoc quasi u.* addiditque interpretationem in praefationis p. XX satis artificiosam, in qua etsi particulas nonnullaque alia vocabula a Cicerone non scripta, sed ad sententiam, quam huic loco inesse putat, exprimendam necessaria ipse addidit, tamen molestam sententiarum repetitionem, qua locus aperte laborat, neque vitavit neque excusavit.

III, 19, 62.

Quod primum intellegi debet figura membrisque corporum, quae ipsa declarant, procreandi a natura habitam esse rationem. Neque vero haec inter se congruere possent ut natura et procreari vellet et diligi procreatos non curaret.

Varietas est scripturae in verbo *possent:* codices optimi habent *possint*, deteriores *possent*, quae forma omnibus fere editoribus probatur. Atque sine dubio recte fecerunt, quod coniunctivum praesentis quamquam optima auctoritate commendatum non receperunt, sed mea quidem sententia coniunctivus imperfecti etiam minus ferri potest. Etenim cum haec, quae Cicero dicit, re vera inter se congruere non possint, indicativus exspectatur. Quamquam enim non desunt loci, ubi consuetudine loquendi omissa vel apud Ciceronem talium verborum, qualia sunt *posse debere,* coniunctivus pro indicativo reperiatur, ei habent tamen certam quandam excusationem neque cum eis comparare licet verba supra scripta. Ut Cicero interdum in enuntiato condicionali, quod dicitur irreale, coniunctivo illorum verborum utitur, velut pro Arch. 7, 17: *quod si ipsi haec neque attingere neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus,* ita etiam, cum subaudiendum est ipsum enuntiatum, quo condicio continetur, coniunctivi pro indicativo positi exempla non desunt: Tusc. I, 34, 84: *eius autem quem dixi*

Hegesiae liber est, Ἀποκαρτερῶν, in quo a vita quidam per inediam discedens revocatur ab amicis, quibus repondens vitae humanae enumerat incommoda. Possem idem facere, etsi minus quam ille, qui omnino vivere expedire nemini putat, ubi subauditur *si vellem* vel Tusc. I, 36, 88: *sed in vivo intellegi tamen potest, regno te carere — dici autem hoc in te satis subtiliter non potest, posset in Tarquinio, cum regno esset expulsus — at in mortuo ne intellegi quidem: posset in Tarquinio,* inquit Cicero, *si eo exemplo uti vellem.* Talis autem et explicatio et excusatio loco supra scripto admitti nullo modo potest. Itaque a Cicerone profectum esse puto nec *possint* nec *possent*, sed indicativum *possunt,* pro quo errore antiquo scriptum erat in archetypo *possint*, quod libri optimi servaverunt, deteriores habent interpolatam *possent* scripturam. In consecutione temporum autem, quae intercedit inter *congruere possunt* et *procreare vellet* non magis offendendum quam epist. XIII, 1, 5: *nec dubitat, quin ego a te nutu hoc consequi possem etiamsi aedificaturus esses.*

IV, 3, 6.

Deinde ea quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis, quam splendide de iustitia de fortitudine de amicitia de aetate degenda de philosophia de capessenda republica de temperantia de fortitudine hominum de spinas vellentium ut Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere.

Turbas manifestas huius loci partim recte sustulit Madvig cum scriberet *de iustitia de temperantia de fortitudine de amicitia de aetate degenda de philosophia de capessenda re publica, hominum non spinas vellentium* e. q. s., reliquit perversam hoc loco notionem philosophiae, quam recte sustulit Heine in Philologi tom. XXIV. p. 504, de genetivis autem *hominum non spinas vellentium* contra leges severas grammaticae positis haec Madvig dicit: „Sed praeterea in genetivo editores haeserunt. — melius, si supplemento opus esset, alii apud Lambinum, *more hominum non spinas vellentium.* Cicero solum genetivum paullo liberius superioribus adiunxit significans, haec quae dicerent illi, hominum esse non spinas vellentium, qui prorsus legitima appositione adiungeretur, si ante scriptum esset: *quam*

magnifica sunt! (haec sunt magnifica, hominum non cet.*)* Nunc etsi paullo aliter dixit *(quam magnifice sunt dicta)* tamen pluribus interiectis tamquam ad illam formam haec accommodavit.“ Quae explicatio sitne probabilis dubito; certe Ciceronem solito neglegentius dixisse statuendum esset, si probaremus. Cum autem apertum sit, aliquid deesse aut inter *hominum* et *spinas*, aut ante haec duo vocabula, non nimiae audaciae videtur praeter *non* particulam necessariam tale quid addere, a quo genetivus *hominum* pendeat, qualis est coniectura *hominum more non spinas vellentium.* Sed moris notio hoc loco displicet ut non satis apta, magis placet scribere *hominum haec sunt non spinas vellentium,* nisi forte praestat *haec sunt non hominum spinas vellentium,* ita ut statuatur verba Ciceroniana *haec sunt non* excidisse, cum quattuor vocabula *de temperantia de fortitudine* falso inferrentur. Ceterum non interpungendum post adverbium *splendide* propterea, quod ea quae sequuntur cum superioribus coniuncta sunt et cohaerent, sed post verba *de capessenda republica.* Totus igitur locus hoc modo videtur esse conformandus: *Deinde ea quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis, quam splendide de iustitia de temperantia de fortitudine de amicitia de aetate degenda de capessenda republica; haec sunt non hominum spinas vellentium* e. q. s.

V, 6, 16.

Quod quoniam in quo sit, magna dissensio est, Carneadia nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur vidit non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae. Negabat igitur, ullam esse artem, quae ipsa a se proficisceretur; etenim semper illud extra est, quod arte comprehenditur.

Vix credi potest, Ciceronem in duobus enuntiatis, quorum alterum prius continuo sequitur, initium sententiae ab eadem particula *igitur* fecisse. Sed accedit gravior offensio. Postquam Cicero Carneadiam adhibendam esse divisionem dixit, causam affert, quare id ita faciendum esse putaret, ad hanc autem sententiam exprimendam *igitur* particula apta non est. Causa vero allata ad rem ipsam exponendam aggreditur, quod aptissime *igitur* vocula significatur. Itaque particula *igitur* altero

loco posita cum recte se habeat, priore desideratur *enim* coniunctio, quare Ciceronem scripsisse suspicor: *ille enim vir vidit non modo quot fuissent adhuc* cet.

V, 16, 45.

Si enim, ut mihi quidem videtur, non explet bona naturae voluptas, iure praetermissa est; sin autem est in ea, quod quidam volunt, nihil impedit hanc nostram comprehensionem summi boni.

Verba quae sunt *sin autem est in ea* Madvig cum aliis hoc modo explicat: „sin autem in ea [voluptate] est id (tantum momenti et dignitatis) quod quidam volunt, ut in iis numeranda sit, id nihil impedit cet". Quam interpretationem aliquo modo ferri posse etsi non nego, nego tamen eam simplicem esse aut totius sententiae ratione commendari. Dubitatur enim, utrum voluptas bonis adnumeranda sit necne atque hanc notionem Cicero ante tenuit, cum diceret *Utrum enim sit voluptas in iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, necne sit* et in eis, quae postea sequuntur: *si enim — non explet bona naturae voluptas,* quare etiam, cum contraria sententia affertur, similem rationem dicendi exspectamus subiecto voluptatis non mutato et notione adnumerandi servata. Quare nescio an post verba *si autem* exciderit *referenda*, ut locus ita scribendus sit: *sin autem referenda est in ea, quod quidam volunt* cet. De lacunis codicis archetypi cfr. quae Madvig dixit in praefationis p. 23.

V, 29, 89.

Quid interest, nisi quod ego res notas notis verbis appello, illi nomina nova quaerunt, quibus idem dicant? Ita quemadmodum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet, sic isti nobis cum interprete audiendi sunt.

Itane vero? Semperne erat Ciceronis aetate aliquis in senatu, qui interpretem postularet? Semperne legati Graeci (nam de his cogitare Ciceronem recte dicunt interpretes) in senatum introducebantur? Ne saepe quidem hoc factum, sed interdum: attamen licebat Ciceroni rem oratorum more exaggeranti ita loqui, quasi saepe id fieret, non licebat dicere prorsus contra veritatem, semper id fieri; scribendum igitur propono: *ita quemadmodum in senatu saepe est aliquis* cet.

LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

IOS. SCHWANE Dr. 1. dogmaticam de creatione mundi docebit bis per hebd.; 2. dogmaticam de gratia et praedestinatione tractabit ter per hebd.; 3. theologiae moralis partem specialem de virtutibus theologicis exponet bis per hebd.; 4. exercitationes et disputationes de theologia dogmatica et morali moderabitur semel per hebd.

IOAN. HARTMANN Dr. 1. ius ecclesiasticum docere perget quinquies per hebd.; 2. ius bonorum ecclesiae tractabit bis per hebd.; 3. exercitationes iuris ecclesiastici moderabitur semel per hebd.

PETR. FUNCKE 1. liturgicam de sacrificio Missae docebit ter per hebd.; 2. homileticam — exercitationibus adiunctis — tractabit ter per hebd.

MAX. SDRALEK Dr. 1. historiae ecclesiasticae partem primam ad Gregorium P. P. I. usque enarrabit quater per hebd.; 2. historiam litterarum theologicarum priorum quinque saeculorum tradet bis per hebd.; 3. exercitationes historicas moderabitur semel per hebd.

ALOYS. SCHAEFER Dr. 1. evangelium secundum Lucam interpretabitur quater per hebd.; 2. sodalibus seminarii exegetici epistolam I ad Thessalonicenses interpretandam proponet bis per hebd.

VINAND. FELL Dr. 1. introductionem in libros Vet. Testam. tractabit ter per hebd.; 2. librum Isaiae proph. interpretabitur bis per hebd.; 3. *privatim* linguae Arabicae clementa docebit bis per hebd.; 4. *publice* exercitationes Hebraicas instituet semel per hebd.

3. Professoris extraordinarii.

BERN. SCHAEFER Dr. 1. apocalypsin St. Ioannis explicabit ter per hebd.; 2. hexaëmeron exponet bis per hebd.

4. Privatim docentis.

IOS. BAUTZ Lic. 1. apologeticae christianae partem alteram docebit bis per hebd.; 2. quaestiones dogmaticas difficiliores tractabit ter per hebd.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

GUIL. HITTORF Dr. *privatim* de physicae experimentalis parte prima habebit lectiones quinquies per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes practicas in laboratorio physico instituet ter per hebd. per ternas horas.

ANT. KARSCH Dr. *publice* historiam zoologiae tradet bis per hebd.; *privatim* 1. physiologiam hominis docebit ter per hebd.; 2. botanicen pharmaceuticam tradet ter per hebd.

GUIL. STORCK Dr. *publice* carmina selecta poetarum lyricorum quos „Minnesänger" vocant, interpretabitur bis per hebd.; *privatim* linguae Theotiscae saeculorum IX—XI grammaticam docebit quater per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes Germanicas moderabitur semel per hebd.

PETR. LANGEN Dr. *publice* 1. carminis Lucretiani de rerum natura partes selectas interpretabitur bis per hebd.; 2. in seminario philologico sodalibus ordinariis primum Horatii carminum librum explicandum proponere perget eorumque disputandi exercitationes moderabitur bis per hebd.; 3. sodales extraordinarios Isocratis Areopagitico legendo exercebit semel per hebd.; *privatim* grammaticam historicam linguae Latinae docebit quinquies per hebd.

IO. MATTH. STAHL Dr. *publice* 1. Aristotelis poeticam interpretabitur bis per hebd.; 2. sodalibus seminarii philologici ordinariis Euripidis Medeam interpretandam proponet eorumque disputationibus praeerit bis per hebd.; *privatim* metricam docebit quater per hebd.

AUG. HOSIUS Dr. *publice* de plantis fossilibus disseret bis per hebd.; *privatim* palaeontologiae partem primam (animalia vertebrata) tractabit quater per hebd.

PAUL. BACHMANN Dr. *publice* exercitationes seminarii mathematici moderabitur binis per hebd. horis; *privatim* 1. theoriam numerorum docebit quater per hebd.; 2. calculi differentialis et integralis elementa tradet quater per hebd.

GID. SPICKER Dr. *publice* 1. de summis philosophiae problematis disseret bis per hebd.; 2. disputationes de philosophia instituet semel per hebd.; *privatim* historiam philosophiae criticam inde ab Aristotele usque ad Cartesium tradet quater per hebd.

GUST. KOERTING Dr. *publice* 1. exercitationes latinas ad philologiam romanensem spectantes instituet bis per hebd.; 2. in seminario romanensi et anglico exercitationes provinciales moderabitur bis per hebd.; *privatim* 1. syntaxis francogallicae capita selecta tractabit quater per hebd.; 2. litterarum francogallicarum et anglicarum historiam inde ab ineunte saeculo XVII usque ad saeculi XVIII finem enarrabit quater per hebd.

BERN. NIEHUES Dr. *publice* historiam aevi quod vocatur revolutionis docebit bis per hebd.; *privatim* de historiarum antiquarum cognitionis fontibus atque litteratura disseret quater per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes seminarii historici moderabitur bis per hebd.

RUD. STURM Dr. *publice* exercitationes seminarii mathematici moderabitur binis per hebd. horis; *privatim* geometriam analyticam et syntheticam trium dimensionum docebit quinquies per hebd.

HENR. SALKOWSKI Dr. *publice* chemiae organicae partem alteram docebit bis per hebd.; *privatim* chemiam anorganicam tractabit quater per hebd.; *privatissime* exercitationes in laboratorio chemico cotidie moderabitur senas per horas.

GEORG. HAGEMANN Dr. *publice* philosophiae antiquae historiam tractabit ter per hebd.; *privatim* psychologiam docebit quater per hebd.

OSC. BREFELD Dr. *publice* demonstrationes microscopicas instituet semel per hebd.; *privatim* plantarum anatomiam et physiologiam docebit quinquies per hebd.; *privatissime et gratis* disquisitiones botanicas in laboratorio botanico moderabitur.

IOS. NORDHOFF Dr. *publice* de vita et operibus Rafaëlis Urbinatis disseret bis per hebd.; *privatim* historiam cultus victusque medii aevi enarrabit ter per hebd.; *privatissime et gratis* exercitia ad historiam et artes pristinas spectantia instituet bis per hebd.

2. Professorum extraordinariorum.

ADALB. PARMET Dr. *publice* 1. de P. Ovidi Nasonis vita et carminibus disseret ter per hebd.; 2. Iliadis Homericae locum lib. II, v. 484—760, quem „navium catalogum" vocare solent, interpretabitur bis per hebd.; *privatim* Taciti dialogum de oratoribus explicabit ter per hebd.

HERM. LANDOIS Dr. *publice* de arte zoologiae in scholis tractandae aget bis per hebd.; *privatim* ornithologiam tractabit quater per hebd.; *privatissime* exercitationes microscopicas instituet bis per hebd.

LAD. DE OCHENKOWSKI Dr. lectiones postea indicabit.

ARTH. MILCHHOEFER Dr. *publice* artificia musei archaeologici explicabit semel per hebd.; *privatim* monumenta cycli epici interpretabitur ter per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes archaeologicas moderabitur semel per hebd. singulis vel binis horis.

CHRIST. BARTHOLOMAE Dr. *privatim* 1. scriptorum sanscritorum interpretationem moderabitur ter per hebd.; 2. grammaticam linguae goticae comparativam tradet bis per hebd.; *privatissime et gratis* hymnos vedicos et avesticos explicabit bis per hebd.

RICH. LEHMANN Dr. *publice* exercitationes geographicas moderabitur binis per hebd. horis; *privatim* geographiam Germaniae tractabit quater per hebd.

ARTH. MEYER Dr. *publice* pharmacognosiam tradet bis per hebd.; *privatissime* in laboratorio chemico artem pharmaceutico-chemicam et analysin toxicologicam docebit cotidie quinas per horas.

OTTO MUEGGE Dr. *publice* exercitationes crystallographicas et petrographicas moderabitur binis per hebd. horis; *privatim* mineralogiae partem priorem docebit quater per hebd.; *privatissime et gratis* disquisitiones crystallographicas et petrographicas instituet cotidie quaternas per horas.

3. Privatim docentium.

EUG. EINENKEL Dr. *gratis* 1. de Shaksperii vita et operibus disseret bis per hebd.; 2. sermones lingua neo-anglica instituendos moderabitur semel per hebd.; *privatim* anglicae syntaxis historicae capita selecta tradet bis per hebd.; *privatissime et gratis* sodalibus seminarii anglici Chauceri poetae Canterburiensium historiarum nonnullas legendas et interpretandas proponet bis per hebd.

FRANC. IOSTES Dr. *gratis* lectiones de Goethei Fausto habebit bis per hebd.

HENRIC. FINKE Dr. *gratis* 1. de imperio et sacerdotio a temporibus Innocentii papae III usque ad mortem Ludovici Bavari aget ter per hebd.; 2. exercitationes palaeographicas instituet semel per hebd.; *privatim* fontium historiae Germanicae partem alteram tractabit bis per hebd.

4. Lectorum academicorum.

IUL. OTTO GRIMM Dr. Prof. *publice* 1. exercitationes harmonicas moderabitur semel per hebd.; 2. exercitationes cantus chorici instituet semel per hebd.

CAR. DEITERS valetudine impeditus lectiones non habebit.

FRID. SCHMIDT *publice* 1. de cantu ecclesiastico lingua vernacula composito disseret semel per hebd.; 2. exercitationes cantus ecclesiastici utriusque instituet semel per hebd.

FEL. HASE *publice* in seminario romanensi et anglico exercitationes et scribendi et loquendi instituet bis per hebd.; *privatim* Walteri Scottii poema quod inscribitur: „The Lady of the Lake" interpretabitur bis per hebd.

CLEM. BATHE exercitationes gymnasticas moderabitur bis per hebd.

Disciplinarum apparatus et instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit eiusque opes litterarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. *Anagnosterium academicum* ephemeridum litteratarum cognoscendarum opportunitatem intrantibus praebebit. *Museum archaeologicum* diebus Mercurii horis 11—1 antemeridianis patebit, *hortus botanicus* cottidie diebus Solis et festis exceptis.

De exercitationibus seminarii theologici dictum est sub nominibus profess. ordin. SCHWANE, HARTMANN, FUNCKE, SDRALEK, A. SCHAEFER, FELL, de seminario philologico sub nominibus profess. ord. LANGEN et STAHL, de seminario mathematico sub nominibus profess. ord. BACHMANN et STURM, de seminario historico sub nomine profess. ord. NIEHUES, de seminario Romanensi et Anglico sub nomine profess. ordin. KOERTING et priv. doc. EINENKEL.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Significat numerus 1. diem Lunae, 2. diem Martis, 3. diem Mercurii, 4. diem Iovis, 5. diem Veneris, 6. diem Saturni; numeri I, II, III rel. auditoria significant.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
7—8		KARSCH P. O., historia zoologiae. (2. 3.) aud. zool.
8—9	SCHWANE P. O., dogmatica de creatione mundi. (1. 2.) Nro. VII. Idem, dogmatica de gratia et praedestinatione. (3. 4. 5.) Nro. VII. Idem, theologiae moral. pars special. de virtutibus theologicis. (6.) Nro. VII.	KARSCH P. O., physiolog. hominis (1. 2. 3.) aud. zool. Idem, phytolog. pharmac. (4. 5. 6.) aud. zool. STORCK P. O., gramm. Theot. (2. 3. 4. 5.) Nro. IV. Idem, exercitationes germanicae. (6.) Nro. IV. HOSIUS P. O., palaeontologia. (1. 2. 3. 4.) aud. mineralog. Idem, de plantis fossilibus. (5. 6.) aud. mineralog. HAGEMANN P. O., psychologia. (1. 2. 4. 5.) Nro. VIII. Idem, historia philos. antiq. (3. 6.) Nro. VIII.
9—10	SCHWANE P. O., exercitationes dogmatic. et moral. (3.) Nro. II. FUNCKE P. O., liturgica de sacrif. Missae. (4. 5. 6.) Nro. II. Idem, homiletica exercitationibus adiunctis. (1. 2.) Nro. II. (3.) Nro. V.	HITTORF P. O., exercitationes phys. in laboratorio physico. (2. 4. 5.) STORCK P. O., carmina poetarum lyric. (3. 6.) Nro. IV. STURM P. O., geometria trium dimensionum. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., chemia anorgan. (p. I.) (2. 3. 5. 6.) aud. chem. Idem, chemia organ. (p. II.) (1. 4.) aud. chem. HAGEMANN P. O., historia philos. antiq. (2.) Nro. VIII.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
9—10	FELL P. O., introductio in libros Vet. Test. (2. 4. 6.) Nro. VII. Idem, interpretatio libri Isaiae proph. (3. 5.) Nro. VII.	BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) PARMET P. E., Ovidi vita et carmina. (1. 2. 3.) Nro. VI. Idem, Homeri Il. II catalog. navium. (5. 6.) Nro. VI. LEHMANN P. E., geographia Germaniae. (1. 2. 4. 5.) aud. geogr. FINKE P. D., de fontibus hist. Germ., p. II. (3. 6.) Nro. V.
10—11	HARTMANN P. O., ius ecclesiasticum. (contin.) (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. II. Idem, ius bonorum ecclesiae. (6.) Nro. II. B. SCHAEFER P. E., apocalypsis S. Ioannis. (1. 2. 3.) Nro. V. Idem, hexaëmeron. (4. 5.) Nro. V.	HITTORF P. O., exercitationes phys. in laboratorio physico. (2. 4. 5.) BACHMANN P. O., theoria numerorum. (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. SPICKER P. O., historia philosophiae. (1. 2. 3.) Nro. VI. Idem, de summis philosophiae probl. (4. 5.) Nro. VI. NIEHUES P. O., de hist. ant. cognitionis font. atque litterat. (4. 5. 6.) Nro. III. Idem, historia aevi revolutionis. (2. 3.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) NORDHOFF P. O., exercitia ad historiam et artes pristinas spectantia. (6.) Nro. VII.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11		PARMET P. E., Taciti dialogus de orat. (1. 2. 3.) Nro. I. LANDOIS P. E., ornithologia. (1. 2. 3. 4.) aud. zool. Idem, de arte zoologiae tractandae in scholis. (5. 6.) aud. zool. MILCHHOEFER P. E., monumenta cycli epici. (4. 5. 6.) Nro. I. Idem, explicationes in Museo archaeol. (2.) Idem, exercitia archaeologica. (3.) in mus. archaeol. MEYER P. E., pharmacognosia. (2. 5.) aud. chem. Nro. II. MUEGGE P. E., mineralogiae p. I. (1. 2. 4. 5.) mus. mineralog. EINENKEL P. D., Anglic. Synt. (3. 6.) Nro. IV. Idem, sermones linguae neo-angl. (1.) Nro. IV. JOSTES P. D., de Goethei Fausto. (3. 6.) Nro. VII.
11—12	SCHWANE P. O., theologiae moral. pars special. de virtutibus theol. (2.) Nro. VII. HARTMANN P. O., ius bonorum ecclesiae. (4.) Nro. II. Idem, exercitationes iuris eccles. (6.) Nro. II.	HITTORF P. O., exercitationes phys. in laboratorio physico. (2. 4. 5.) STAHL P. O., seminarium philolog. (1. 4.) Nro. I. Idem, Aristot. poet. (2. 5.) Nro. IV. BACHMANN P. O., calc. differ. et integr. (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. SPICKER P. O., historia philosophiae (6.) Nro. VI.

3

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
11—12	AL. SCHAEFER P. O., evangelium sec. Lucam. (1. 3. 5. 6.) Nro. VIII.	KOERTING P. O., Syntax. Francogall. (1. 2. 4. 5.) Nro. V. NIEHUES P. O., de hist. ant. cognitionis font. atque litterat. (3.) Nro. III. Idem, seminarium historicum. (4.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BREFELD P. O., demonstrationes microscop. (3.) aud. botan. Idem, disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 4. 5. 6.) NORDHOFF P. O., historia cultus victusque medii aevi. (2. 3. 5.) Nro. VII. Idem, vita et opera Rafaelis Urbinatis. (1. 4.) Nro. VII. Idem, exercitia ad historiam et artes pristinas spectantia. (5.) Nro. VII. BARTHOLOMAE P. E., exercitationes Sanscr. (2. 4. 5.) Nro. VI. MUEGGE P. E., exercitationes mineralogicae mus. mineralog. EINENKEL P. D., Shaksperii vita et opera. (3. 6.) Nro. V.
12—1	SDRALEK P. O., historia ecclesiastica. (1. 2. 3. 4.) Nro. VIII. Idem, historia litter. theol. (5. 6.) Nro. VIII.	HITTORF P. O., physicae experimentalis pars prior. (1. 2. 3. 4. 5.) aud. phys. STAHL P. O., metrica. (1. 2. 4. 5.) Nro. IV. KOERTING P. O., historia litt. Francogall. et Angl. saec. 17 et 18. (1. 2. 4. 5.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
12—1		KOERTING P. O., exercitationes lat. ad philol. rom. spectantes. (3. 6.) Nro. V. NIEHUES P. O., seminarium historicum. (4.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BARTHOLOMAE P. E., gramm. Got. (3. 6.) Nro. VI. MUEGGE P. E., exercitationes mineralogicae. mus. mineralog.
2—3		LANDOIS P. E., exercitationes microscopicae. (3.) aud. zoolog. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae. (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico.
3—4	AL. SCHAEFER P. O., seminarium exegeticum. (3.) Nro. II. SDRALEK, P. O., seminarium historicum. (1.) Nro. VII. BAUTZ P. D., apologetica christ. (2. 4.) Nro. II. Idem, quaestiones dogm. diffic. (5.) Nro. II.	LANGEN P. O., gramm. hist. linguae latinae. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5.) LANDOIS P. E., exercitationes microscopicae. (3.) aud. zoolog. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae. (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico. FINKE P. D., exercitationes palaeograph. (6.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
4—5	AL. SCHAEFER P. O., seminarium exegeticum. (3.) Nro. II. FELL P. O., elementa linguae Arabicae. (1. 4.) Nro. II. Idem, exercitationes hebraicae. (5.) Nro. II. BAUTZ P. D., quaestiones dogm. diffic. (1. 3.) Nro. VI.	LANGEN P. O., Lucretii carm. (1. 4.) Nro. III. Idem, semin. philolog. (2. 3. 5.) Nro. I. BACHMANN P. O., seminarium mathematicum. (1.) Nro. IX. STURM P. O., seminarium mathematicum. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5.) LEHMANN P. E., exercitationes geograph. (1.) aud. geogr. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae. (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico. FINKE P. D., de imperio et sacerdotio a temporibus Innocentii III usque ad mortem Ludovici Bavari. (2. 4. 5.) Nro. V.
5—6		BACHMANN P. O., seminarium mathematicum. (1.) Nro. IX. KOERTING P. O., exercitationes seminarii Romanensis et Anglici. (3.) Nro. V. STURM P. O., seminarium mathematicum. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5.) LEHMANN P. E., exercitationes geograph. (1.) aud. geogr.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
5—6		MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae. (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico. EINENKEL P. D., exercitationes seminarii Anglici. (4.) Nro. V.
6—7		KOERTING P. O., exercitationes seminarii Romanensis et Anglici. (3.) Nro. V. BREFELD P. O., plantarum anatomia et physiologia. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. IX. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae. (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico. EINENKEL P. D., exercitationes seminarii Anglici. (4.) Nro. V.

HORIS POSTEA INDICANDIS.

SPICKER P. O., disputationes philosophicae.

MUEGGE P. E., disquisitiones crystallograph. et petrograph.

GRIMM Dr. L., exercitationes harmon.

Idem, exercitationes cantus chorici.

SCHMIDT L., de cantu eccles. lingua vernacula composito.

Idem, exercitationes cantus eccles. utriusque.

HASE L., exercitationes seminarii Angl.

Idem, Scottii Lady of the Lake.

BATHE, exercitationes gymnasticae.